

R. K. 352, 16.

DISPUTATIONUM ETHICARUM
DECIMA

173
II c
264

DE
Amicitia Officiis

(8)
XII 6626

& adiunctis,

è lib. 9. ἠθικῶν Νικομαχείων,

QUAM,

ΓΕΡΟΝΑΗ PRÆSIDE,

In Illustri LIPSIENSI Academia,

sub moderamine

M. ANDREÆ BAUER
CIZENSIS

defendet

BARTHOLOMÆUS Drachstedt
Hallenfis--Saxo.

Ad d. 17. Augusti horis & loco consuetis.



LIPSIÆ,

Describebatur apud Laurentium Cober.

ANNO M.DC.XVI.



VIRIS

Amplissimis, Prudentissimis & Ornatissimis,

*Dn. JOANNI Drachstedt / INCLUTÆ
REIPUBL. PATRIÆ CONSULI LONGE
meritissimo, PATRUO MAGNO.*

*Dn. GEORGIO Drachstedt / IN SALINIS
SAXONICIS SUPREMO FONTIUM
MAGISTRO, PATRUO.*

*Dn. PAULO Roggen / QUÆSTORI
GOTHANO, AVUNCULO.*

*Dn. DAVIDI Roggen / ILLUSTRIS. AC
SERENISS. PRINCIPIS AC DOMINI, Dn. IOANNIS
Sigismundi, Sacri Rom. Imp. Archimarschalli ac
Electoris, Marchionis Brandeburgici, &c.
Præfecto in Borchstall / item
AVUNCULO.*

*Dominis cognatis, Fautoribus ac Pro-
motoribus suis charissimis, perpetu-
umq; colendis.*

*Hoc exercitium Ethicum decite obser-
vantia ergò exhibet*

*Bartholomæus Drachstedt Hall.
natu min. Respcnd.*

DE AMI-

DE AMICITIÆ OFFICIIS NEC
NON ADIUNCTIS.

PROOEMIUM.

Amicitiæ doctrina tam latè patet ac sese diffundit, ut u-
nius libri cancellis includi atq; coarctari haud potuerit.
Iccircò integrum adhuc librum in illa dextrè explicanda
Philosophus consumit, & quæstiones duodecim elegantes ac lepi-
das proponit: Quarum tres priores πρὸς ἀντιφίλησιν ad amoris
reflexionem: Subsequentes quinque ad Φίλησιν amorem, referun-
tur: Proximæ tres, quibus, quot & quando amicis sit opus, in-
dagant: Ultima convictus rationem exsinuat. Quas singulas,
Duce Philosopho nostro, breviter nunc perpendemus.

DIVINA GRATIA BENIGNE
nobis succurrat.

THESIS.

I. Amicitia conservans causa est τὸ ἀνέλογον Æqualitas, quæ Causa con-
tamen in omni amicitia non est eadem. Quædam enim sunt ὁμοιοειδῆς & servans a-
ejusdem speciei, in quibus amici se mutuò propter easdem caus- micitiæ,
fas vel eundem specie finem; vel propter virtutem, vel volupta-
tem, vel utilitatem amant: Quædam ἀνομοιοειδῆς & specie dissimi-
les, in quibus non propter eundem specie finem se mutuò amant:
Sed hic amat alterum propter virtutem, alter propter volupta-
tem & utilitatem redamat, non aliter ac in contractibus v. g.
σκυλοτόμῳ futori pro calceis fit remuneratio καὶ ἀξίαν secundum
pretium, cujus mensura communis est νόμισμα moneta.

II. Sed in his amicitis quærelæ existunt. 1. quando non est æqua- Quot mo-
lis ἀντιφίλησις & alter ægrè fert se non ab altero redamari, seu non dis quærelæ
ita, ut par erat. 2. quando non fit æqualis ἀντίδοσις & non reddun- solent exi-
tur illa, quæ erant promissa: 3. quando non fit ἀντίδοσις talis, qua- stere,
lem alter desiderabat: vel non redditur id, quod alter expete-
bat.

Quomodo
his querelis
occurrenti-
dum.

III. Sed his querelis occurritur, si prima quâq; occasione oblatâ beneficia & officia nobis præstita, pari aut majori mensurâ, si fieri possit, remunerentur & compensentur. Ut verò fieri possit justa remuneratio & compensatio beneficiorum necesse est, ut beneficia rectè æstimentur.

I. Questio.

IV. Exurgit hinc PRIMA QUÆSTIO: *An dantis, an verò accipientis arbitrio sit æstimatio illa permittenda? Ut melius explicetur hæc questio, notanda est hîc distinctio: Qui beneficium confert, vel illud facit ex mera benevolentia & liberalitate, sine ulla retributionis spe: Vel facit hoc spe alicuius retributionis, idq; bifariam: Vel enim paciscitur cum accipiente & definit, quid quantumvè sit retribuendum: Vel non paciscitur.*

Responsio

V. *His præmissis ad questionem sic respondetur: 1. Si nullum pactum intercedat, beneficii æstimatio est potius penes accipientem, quàm penes dantem: Nam dans videtur tacitè accipienti ab initio permisisse æstimationem; Sicut Protagoras fecisse legitur, qui cùm auditores suos Philosophiam aut aliam illius partem docuisset, auditoribus liberam remunerationem reliquit.*

2.

VI. *2. Quod si pactum retributionis intercedat, retributio quoq; est facienda. Ut si qui, cùm pecuniam acceperint, nihil postea faciunt eorum, quæ polliciti sunt, ob excessus promissorum, meritò in expostulationes incidunt.*

VII. *Quod si deniq; beneficium sine ulla spe retributionis conferatur, etiam penes accipientem est beneficii æstimatio. Ubi enim nulla ministerii pactio fit, illi, qui per se prius dant, absq; ullo sunt crimine: siquidem ejusmodi amicitia est ex virtute, cujus proprium est benefacere.*

VIII. *Cùm autem amicitia in justo consistat ac relationem habeat: Virtus quoq; & amicitia requirit, ut accipiens retributionem faciat. Ea igitur electione est facienda, & à beneficio conferente, eadem electione metienda.*

IX. *Nec tamen in omnibus beneficiis æqualis fit retributio; Ideoq; nec cum altero de compensatione quis convenire potest; ita enim in doctrinæ & Philosophiæ communione nulla pecuniâ dignitas accepti beneficii æstimari potest, nec ἰσὸς ἔσται τὴν ἀξίαν æquilibre pretium tribui. Ideoq; satis est, si retribuatur τὸ ἐνδεχόμενον id quod fieri potest: & honor quantus maximus potest, Præceptoribus, Parentibus & Diis exhibeatur.*

X. SECUN-

X. SECUNDA QUÆSTIO ad ἀντιφίλησιν pertinens, gene- 2. Quæstio.
raliter proponitur. Cum par gratia καὶ ἀξία amico sit referenda,
quæritur, an omnia omnibus referre conveniat? Hæc ut distinctius per-
cipiatur, in tres veluti ex isto trunco manantes ramos abit: 1. An
omnia Patri sint tribuenda, & in omnibus parendum; an verò
neglecto Patre, interdum aliis sit magis obtemperandum! 2. An
amico magis, an verò probo viro sit inserviendum? 3. An deniq;
potius benè merito, quàm sodali gratificandum; si utrumq; si-
mul non liceat? c. 2.

XI. Ad has ἀπορίας in genere respondetur: Magnam esse quæ-
stionum hujusmodi difficultatem, quòd hæc omnia ἀκρίβως sub-
tiliter & enucleatè distinguere non facilè est. Multùm enim
varieq; inter se differunt, & magnitudine, & parvitate, & hone-
state & necessitate: Sed generale tamen hoc tenendum est præ-
ceptum: ὅτι ἀν ἀπαντα τῷ αὐτῷ δωροτόειον quòd non omnia eidem
sint tribuenda: (sicut 1. nec Iovi quidem omnia fiunt sacra. 2.
nec quivis ad nuptias, funera & similia vocari solent, sed vel vi-
cini vel consanguinitate conjuncti) sed ἐκάστοις τὰ δικαία καὶ ἀρεμῶνον-
τα δωρομηλίων singulis propria & accommodata esse referenda.

XII. Ut verò in specie singula enucleentur, sciendum est: PRIMO:
Patri non omnia esse reddenda, sed 1. τὰ δευπλήσια alimenta: Hæc enim
parentibus debemus: sunt enim in causa, UT SIMUS. 2. τὴν ἰσὺν ἰσὺν
honorem non tamen vel divinum vel illis minimè convenientem: Sed
Patri πατερικὴν, matri μητρικὴν: SENI BUS quoq; omnis honor est exhiben-
dus ὑπαναστάσει καὶ κατακλίσει καὶ τοῖς τοῖς τοῖς assurgendo vel loco cedendo
& his similibus. Inter fratres & sodales ἀπάντων κοινότης καὶ παρῆντία, re-
rum communio & libertas in loquendo & mutuò sese amicè reprehendendo es-
se decet: Cognatis & affinibus ea inprimis competunt officia,
quæ ad communis familiæ honorem vel incrementum faciunt.
In genere enitendum, ut ex hisce τὸ δικαίον cuiq; & suum quod est,
tribuamus.

XIII. Ad SECUNDAM: Quod ἐνίοτε interdum honestius sit, ut
potius viro bono succurramus, quàm beneficium collatum rependamus. Nam
benefactor probo viro benefecisse potest: Retributio autem er-
ga pravum fieri deberet, ubi eadem ratio non est. Uti enim si
quis mutuum det & accipiat à viro pravo, tùm quia mutuum est,
reddere debet: Non tamen vicissim tenetur pravo mutuum da-
re, quia sperare non potest se aliquid recepturum.

XIV. AD TERTIAM dicitur, quòd *beneficentia ὡς ἐπὶ τὸ πλεον* magis sit retribuenda, quàm sociis inserviendum. Nam creditori potius reddendum debitum, quàm alteri aliquid donandum. Beneficium enim est quasi medium, quod nos obligat benefactori.

XV. Hic tamen non est exceptio omittenda: quòd si lex naturæ contrarium suadeat, tùm amico potius quàm benefactori est dandum. Ut si quis redemptus à latronibus fuerit, & accidat, ut is, qui redimit, à latronibus capiatur, ex eodem tempore pater etiam in latrones incidat; tùm pater potius redimendus est, quàm benefactor.

3. *Questio.* XVI. TERTIO: Si alter amicorum in amore non respondeat, licetne interdum amicitiam dissolvere nec ne? Licere id non est ἀτοπον. Et 1. in amicitia propter utilitatem vel voluptatem contracta, duabus de causis. 1. Si alter amicorum desinat esse utilis & jucundus. Tunc enim bona non conferuntur amplius, ob quæ Amicitia fuit contracta. 2. Si alter simulat se esse amicum alterius ob ipsius virtutem & sapientiam, cùm tamen vel commodum aliquod vel voluptatem maximè spectat: Tunc enim justum est accusare illum ceu deceptorem, veluti ejusmodi hominem, qui monetam adulterat: Et quidem eò magis, quòd probiorem & meliorem virum decipit. c. 3.

XVII. Deinde in amicitia quoq; honesta. 1. quando alter amicorum neglecta virtute improbus evasit: Non enim decet nos improbos amare, vel quoquo modo iis similes videri. Monet tamen Philosophus, tùm demum amicitiam esse dissolvendam, quando alter planè est ἀνίκατος: Eos verò, in quibus spes bonæ frugis apparet, adjuvandos esse, & quidem non tam opibus & fortunâ, quàm moribus & virtutibus. 2. quando alter in bonis & honestis studiis profecit, ut alter ipso multis modis sit inferior. v. g. in ea amicitia, quæ à pueritia est contracta, in quâ alter animo & moribus puer mansit: alter verò virtute & industria plurimum dignitatis sibi acquisivit: Tunc enim nulla est amplius æqualitas, nulla conjunctio. Monet tamen Philosophus, illum non penitus esse negligendum, sed si occasio tulerit, ut ipsi gratificari queamus, rationem præ aliis ipsius esse habendum; & veteri consuetudini aliquid concedendum.

4. *Questio.* XVIII. Hactenus fuerunt quæstiones de ἀντιφιλικίαι: Sequuntur quæ spectant ad φιλίαν: Quarum prima hæc est: Unde petenda sint veræ amicitie officia? Respondetur ex eo amore, quo vir bonus seipsum prosequitur,

tur, seu ἐκ τῆς φιλαυτίας: Cujus proprietates sequentes numerantur: 1. Sibi benè velle. 2. benefacere, 3. Sibi placere & secum conversari. 4. Consentire & suas actiones optimas esse putare. 5. Sibi compati; bona sibi evenire, lætari: Malis autem affici, dolere. c. 4.

XIX. *Viro bono φιλαυτίαν inesse sic demonstratur.* 1. quia maximè sibi benefacit præstantissimam animæ partem excolendo 2. in illo rationis & appetitus pulcerrima cernitur harmonia. 3. Lubentissimè secum conversatur. 4. Propter rem aliquam toto animo vel gaudet vel dolet. 5. Salutem suam unicè amat. Atq; hinc amiciria ortum habet. Unde φίλος dicitur ἄλλος αὐτὸς alter ipse.

XX. *Contrario modo sese habet vir improbus,* qui τὰ φαινόμενα saltem ἀγαθὰ sectatur, secum nō consentit, sibi ipsi displicet, partim dolet, partim gaudet, suam deniq; salutem intemperantiâ aliisq; vitiis pessundat, adeò ut non ratò desperatione quadam adjuti quidam sibi ipsis violentas inferunt manus, vel hominum cætus frequentent, ut tantisper conscientia furis quiescentibus, sui quodammodo obliviscantur.

XXI. Hinc ἀξιωμακτικὸν illud elicitur πείσμα: εἰ δὴ τὸ ἄλλως ἔχειν, λίαν ἐστὶν ἀσλίον, φευκτέον τὴν μοχθηρίαν διατεταμένως, καὶ πειθαλέον ἐπικικῆ εἶναι. οὕτω γὰρ καὶ πρὸς αὐτὸν φιλικῶς ἂν ἔχοι, καὶ ἑτέρων φίλος γένοιτο: Si igitur sic se habere valde est miserū, fugienda est improbitas acerrimo cursu; Et conandum est, ut homo sit probus. Sic enim & erga se amicè sese habebit, & aliorū amicus fiet.

XXII. Quandoquidem εὐνοία, ὁμόνοια, φιλία καὶ φίλησις magnam habent affinitatem, discutiendum nunc est: *An & quomodo inter se hæc differant? Ac primò quidem εὐνοία distinguitur tum ab Amicitia, tum ab Amore. Ab Amicitia quidem.* 1. quia amicitia tantum est inter notos: Benevolentia verò inter ignotos esse potest. 2. Amicitia non potest esse occulta; requiritur enim ἀντιφιλησις: Benevolentia autem esse potest erga illos, quibus nihil de ea constat. *Deinde ab AMORE.* 1. Nam in amore est ardens studium amato beneficiendi, & appetitus quidam eadem faciendi: Benevolentia autem repenti fieri potest, nec tam ardens est, nec tam semper cupit benefacere, nec frui eo, erga quem est affecta: 2. Ab amore requiritur aliqua temporis mora & consuetudo: Benevolentia statim viso aliquo existere potest.

XXIII. *Est itaq; εὐνοία, ἀρχὴ φιλίας Amicitia principium, sicut aspectus initium Amoris: ὡσπερ τὸ ἐρεῖν, ἢ διὰ τῆς ὀφείας ἡδονῆς:* *Etsi enim benevoli non statim sint amici:*
Amicitia

πείσμα.

s. *Questio.*

Amicitia tamen contrahi nequit, nisi benevolentia aliqua praecesserit, quod ipsum tamen de honesta tantum amicitia est intelligendum. Utilis enim & jucunda, non tam ex benevolentia, quam spe aliqua commodi & voluptatis institui solet. c. 6.

6. *Questio.* XXIV. *Quaritur: An omnia idem sit quod modo dicitur consensus vel in scientiis vel disciplinis? Respondetur quod non: Nam. 1. Hæc inter illos esse potest, qui se nunquam viderunt & noverunt. 2. quia qui de quavis re idem sentit, non statim est amicus, sicut nec ille, qui dissentit statim est inimicus.*

Concordia requisita. XXV. *Requiruntur autem ad concordiam tria: 1. ut eadem de rebus utilibus sentiant omnes. 2. ut electio sit eorundem mediorum. 3. ut eodem modo executionem instituant, nec euri-pi instar cogitationes refluant. v. g. cum milites in belli ducem eligendum non solum consentiunt, sed etiam per eadem media, & in eandem personam.*

XXVI. *Subiectum concordie sunt viri boni: quippe qui soli se-cum & cum aliis concordant: Inter malos vero nulla potest esse vel certe non diuturna Concordia: 1. quia nec ipsorum Amicitia est diuturna. 2. quia sunt iniusti, & in divisione bonorum inutilium plus appetunt, quam sibi debetur & in laboribus publicis modum deserunt.*

Definitio concordia. XXVII. *Unde definiri potest concordia, quod sit consensus inter viros bonos ac honestos circa ea, quæ Reipubl. alicui sunt utilia, vel aliquem alium usum ad vitam habent.*

7. *Questio.* XXVIII. *De Beneficentia jucundum æquè ac lepidum proponitur problema: Utrum scilicet beneficus qui beneficia confert, an vero beneficarius qui accipit beneficia audentius amet? Prioris quæstionis pars defenditur tum ex aliorum, tum ex ipsius Philosophi iudicio: Aliorum ratio hæc est: quia humani ingenii nullam præsertim virtute exculsi, proprium est beneficiorum oblivisci: Sed quia hæc ratio claudicat, propterea quod creditores non diligant debitores suos, sed lucri saltem causa pecuniam ipsis accommodant, ideò Philosophus alias adducit rationes c. 7.*

XXIX. *Ratio 1. Omnis artifex magis amat suum opus, quam opus, si vivum ac animatum esset, redamaret artificem: Accipiens est velut opus dantis beneficium: Dans vero est quasi artifex. Major declaratur. 1. Exemplo poetarum, qui poemata sua υπεραγαπῶσι & non secus ac liberos impensè amant. 2. ratione. Quicquid*

Quicquid τὸ εἶναι perfectum & integrum statum nostrum testatur, id amamus vehementer. Tale est opus artificis. E. opus suum artifex amat vehementer. Minor probatur, quia, quod artifex τῆ δυνάμει potentia: id opus declarat ipsum esse ἐνεργεία.

XXX. 2. Ratio. Honestum est amabilius utili: In dante deprehenditur honestum: In accipiente verò utile. E. dare est amabilius.

XXXI. 3. Ratio: Officia actu bona, & præstantiora & præstabiliora, magis sunt amabilia, quàm ea, quæ citò transeunt. Dare beneficium est actu bonum, præstans & stabile: Siquidem & memoria beneficii collati est jucunda, beneficium verò acceptum citò transit. E. dare est amabilius, quàm accipere.

XXXII. 4. ratio: Melius est agere, quàm pati. Dans beneficiū agit, accipiens patitur: E. dare melius est quàm accipere.

XXXIII. 5. ratio. Quò quid laboriosius, eò melius: Dare est laboriosius, quàm accipere. Ergò dare est melius. Major illustratur bitariam. 1. exemplo divitum, quorum alii opes suas proprio labore sibi acquisiverunt, ideoq; sunt parciores: Alii hæreditario jure acceperunt, ideoq; etiam profusiores. 2. Exemplo parentum, inter quos matres φιλοτεκνότεραι vehementiùs amant liberos quàm patres: quia ἐπιπονώτερα & laboriosior est liberorum procreatio, quàm patribus,

XXXIV. *Definitum est prius, Amicitiam eo amore amicū persequi, quo se vir bonus amplectitur: Unde non ignobilis questio: Utrum liceat φιλεῖν ἑαυτὸν μάλιστα ἢ ἄλλον seipsum magis amare, quàm alium?* 8. Questio. Utinq; rationes occurrunt prægnantes. c. 8.

XXXV. *Qui negant his utuntur rationibus.* 1. quicumq; meritò reprehenditur, ille est improbus: φίλαυτος meritò reprehenditur. E. est improbus. 2. Vir bonus omnia facit amici gratiâ: φίλαυτος non amici sed ἑαυτῷ gratia omnia agit. Ergò.

XXXVI. *Qui verò affirmant has producant rationes:* 1. quia experiētia docet quēvis seipsum amare. 2. viro bono insunt characteres veræ amicitiae. Nam 1. cupit animum suū propter se ornatum bonis amplissimis. 2. τὰ φιλητὰ insūt omnia, etiam quæ trito hominū sermone circumferuntur proverbialia, rectè ei conveniunt: veluti, μιὰ ψυχὴ unus animus: κοινὰ τὰ τῶν φίλων, amicorum omnia communia: ἰσότης ἢ φιλότης, amicitia est æqualitas: γένυ κνήμης ἔγγυος tibiæ genu est propius: μάλιστα φίλος ἑαυτῷ proximus quisq; sibi ipsi.

B

XXXVII.

XXXVII. *Sed adhibito distinctionis temperamento facile potest controversia dirimi: Nam φιλαυτία alia est vitiosa, alia laudabilis: Illa tantum caduca bona, honores, opes, voluptates supra modum con-*
φιλαυτία *duplex:* *1. Vitiosa.* *2. laudabilis* *fectatur, atq; ita brutam animæ partem ac corpus maximè respicit, & sæpè in extremum exitium præcipitat hominem: ista studio sapientiæ & virtutum perficit hominis mentem, quæ reginæ instar in arce sedens reliquis facultatibus imperat: illa vituperio, ista encomio digna: illa κατὰ πάθος; ista κατὰ λόγον secundum rectam rationem, agit: illa φαινόμενον tantum, ista ὄντως ἀγαθὸν con-*
fectatur. Illa turpiter, ista honestè agit.

XXXVIII. *Nec obstat, quòd vir bonus mortem appetere, & facultates pro patria, amicis profundere non dubitat. Nam vir bonus hoc modo veriora bona eligit. 1. solidam voluptatem. 2. præclaram vitam: Mavult enim unum annum honestè quàm plures temerè transigere. 3. Unam actionem illustrem, præ multis non magni pretii. 4. ipsam honestatem, quam sibi magis tribuit ac aliis.*

XXXIX. *Quæritur: Utrum beatus indigeat amicis nec ne? Utrinque præstò sunt rationes probabiles: Ratio 1. quia beatus omnia bona habet, & ἀυταρκὴς seipso est contentus. 2. quia beato Deus quoq; favet, juxta illud Euripidis in Oreste: ὅταν ὁ δαίμων εὔδιδῶ, τι θεὸς φίλων cùm Deus est propitius, quid opus ei amicis. c. 9.*

XL. *Pro affirmante parte ex eodem ducuntur fundamenta argumenta: 1. quia cùm sit ἀυταρκὴς & omnia bona habeat, utiq; & amicos τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν externorum bonorum maximum. 2. quia amici necessarii sunt felici viro, ut iis beneficiat. 3. de felici dubitatur, utrum in secundis an verò adversis magis opus habeat amicis. 4. cùm ὁ ἀνθρώπου πολιτικὸν ἢ συζῆν πεφυκὸς: ἢ οὐδεὶς ἔλοιτ' ἂν καθ' αὐτὸν τὰ παντ' ἔχειν ἀγαθὰ, Homo sit civile quiddam, & ad simul vivendum naturâ factus, absurdum omninò est, τὸν μακάριον τὸν μονώτην ποιεῖν beatum facere solitarium.*

XLI. *Utraq; sententia dextrè intellecta veritati consona reperietur. Prior, si χτ' μέρος seu particularis statuatur, à veritate non procul discedit: Nam μακάριος cùm sit ἀυταρκὴς & voluptate genuina abundet, nec utilibus nec jucundis amicis multum indigebit: Sim verò καθόλου universalis ponatur, adeoq; concludatur, nullum illis opus habere amicis, falsa invenietur.*

XLII. *Non enim desunt rationes, quæ felici colendam esse amicitiam*

citiām persuadent. 1. quia felici propositum est intueri actiones honestas, & ex iis voluptatem capere. 2. vita jucunda & suavis non potest carere amicis: Felicitas est suavis vita & jucunda: Major probatur: quia οὐ ρᾶδιον καὶ αὐτὸν ἐνεργεῖν συνεχῶς indefesso studio fungi suo munere est molestum: μεθ' ἑτέρων δὲ καὶ πρὸς ἄλλους ἕξιν conversari autem cum aliis propter actionum societatem, jucunditatem parit.

XLIII. 3. ratio: quia felici competit ἀσκησις τις τῆς ἀρετῆς ἐκ τῆς συζήτης τοῖς ἀγαθοῖς exercitatio quaedam virtutis ex convictu cum bonis. ὁ γὰρ σπυδαῖος, ἢ σπυδαῖος λαῖς καὶ ἀρετὴν πράξισι χαίρει, ταῖς δ' ἀπὸ κακίας δυσχεραίνει. καθάπερ ὁ μουσικός τοῖς καλοῖς μέλεσιν ἡδεται, ἐπὶ δὲ τοῖς φάυλοις λυπείται. Nam bonus, quatenus bonus, iis quæ secundum virtutem sunt, actionibus gaudet: iis verò, quæ ex vitiositate sunt, angitur: Sicut bonus Musicus bonis cantibus delectatur, malis verò dolet.

XLIV. 4. ratio: quia vir felix naturaliter appetit, id quod sic probatur: Vir felix suam appetit vitam & salutem: Amicus est quasi vita & salus viri felicitis. Ergò. Major probatur. 1. ostensâ dignitate vitæ. 2. à naturali desiderio vitæ, quo omnes tenemur. Minor, quia ἑστὸς αὐτὸς ὁ φίλος amicus est alter idem.

XLV. Amicitia cùm omnibus sit necessaria, de numero Amicorum non abs re quaeritur. *Utrum præstat paucos an multos habere amicos?* prius verius esse cuiusvis facile constat, qui amicitiae species separatim explorat. c. 10. 10 Quaestio.

XLVI. Nam multos amicos non admittit. 1. UTILIS. 1. quia multis compensare est ἐπίπονον καὶ χαλεπὸν laboriosum ac difficile. 2. quia facultatis cuiusq̄, non sufficerent. 3. quia idipsum est supervacaneum & impedimento ad felicitatem.

XLVII. 2. Nec JUCUNDA. Nam amici voluptatis causâ suscepti, veluti ἠδύσματα & condimenta quædam beatæ vitæ esse videntur. Condimentum autem, ut in cibis videre est, paucum esse oportet, ne nauseam aliquam adferat.

XLVIII. 3. Nec HONESTA, 1. quia vir bonus non potest συζῆν καὶ διανέμειν simul cum multis vivere, & multis sua officia communicare. 2. quia verus amicus cum altero uno sæpè totos dies consumit. 3. quia difficile est multos habenti amicos, cum hoc lætari, cum altero lugere. 4. fieri non potest, ut multos impensè & affectu vehementiori simul amemus. 5. quia amicitiae,

quæ passim in historiis commendantur non nisi *ἰν δὺσὶ* inter duos fuerunt.

XLIX. *Ἰccircò ut hæc quaestio concludatur, πολιτικῶς civiliter quidem in amicitia honesta, pluribus amicus esse potest, qui ἀρεσκος assentator non est, sed ἀληθῶς ἐπιεικὴς verè probus.* Fieri enim potest, ut virtute sua de pluribus, imò de tota Republ. simul quis benè mereatur: Philosophicè autem & δι' ἑαυτὸς propter se, erga multos Amicitiam exercere non licet. Boni enim consulere & contenti esse debemus, si paucos hujusmodi inveniamus, quibus cum ob virtutem amicitiam contrahamus.

L. *In utraq; fortuna opus esse amicis, est extra controversiam: in adversa quidem ad emolumentum: In prospera vera ad oblectamentum. Dubium verò est, in utrâ maximè opus sit? Respondetur quod ἐν ἀτυχίαις in adversis quidem amicorum usus requiratur, ὡσπερ τὴ ἀναγκαιότερον res magis necessaria: In prosperis ὡσπερ κάλλιον τι tanquam res honesta. c. II.*

LI. *Ἐπιτοβίῳ verò amici sunt jucundi. In adversis. 1. quia consolando omnibus dolorem eximere vel mitigare possunt, καὶ τῆ ὄψει aspectu, καὶ τῷ λόγῳ sermone. 2. quia amicus novit alterius indolem quibus lætatur, quibus tristatur: in quibus sanè magna vis est consolandi. Monet tamen Philosophus in adversis præsentiam amici sæpè esse molestam, quando nimirum videmus, nos ipsi doloris causam præbere. In prosperis sunt jucundi. 1. quia conversatio & consuetudo vitæ est jucunda. 2. quia amici lætantur de nostra conversatione.*

LII. *Quia autem illi, qui conversantur, sunt vel vocati, vel non-vocati: De convocandis hæc sunt tenenda regula. 1. in secundis περὶ δόμῳs promptè & studiosè sunt vocandi, ut nobis adsint, quia honestum est de amicis benè mereri. 2. in adversis ἀκνηῶς lentè sunt vocandi, ne doloris nostri ipsos faciamus participes. 3. vocari tamen possunt, quando sine magno incommodo & molestia opem ferre possunt.*

LIII. *In conveniendis verò amicis contrario modo est agendum. 1. Amicum laborantem & miserum περὶ δόμῳs spontè, non vocati juvare & visitare debemus. 2. Prosperas res amici juvare & augere debemus. 3. si commodi aliquid inde percipiamus, χαλαίως lentè & tardè amicum accedamus. 4. si amicus ultrò in nos cōferat beneficium, non debemus nimis esse agrestes in aspernanda ipsius benignitate.*

LIV. *Ἐπι-*

LIV. *Ultimo loco: Utrum amicis τὸ συζῆν sive convictus sit necessarius? discutiendum proponitur: Affirmativa partis non pauca ad- sunt rationes. 1. quia amoris fons est visus: utiq; amici honesti quò sæpius conveniunt, eò durabilior ipsorum est amicitia. 2. quia convictus est communio sermonum & præclararum cogitatio- num, quæ omnia ad veram amicitiam necessariò requiruntur.*

LV. 3. Unicuiq; suus sensus est jucundus & unusquisq; sibi maximè favet. Amicus autem est velut ALTER EGO vel ALTER IDEM: utiq; amici sensus vel intuitus est jucundus: quia nimirum videmus ipsum esse salvum & incolumem: Hoc ipsum maximè fit in convictu.

LVI. 4. In quovis vitæ statu expetunt socios actionum & exercitiorum: utiq; etiam amicis amicorum convictus est jucundus. Antecedens patet, quia alii delectantur computationibus, alii venationibus, alii *συμφιλοσοφῆσιν*, studiis Philosophiæ, & cum suis integros dies consumunt.

LVII. *Hinc duo eliciuntur πορίσματα notatu digna: PRIMUM: Improborum consuetudo vel potius conspiratio summo studio est vitanda. 1. quia cum improbis conversantes comunicant etiam reb9 malis. 2. μοχθηρὰ γίνονται ὁμοίεμενοι ἀλλήλοις iisdem quoq; similes fiunt.*

KVIII. *SECUNDUM: Virorum ἐπιεικῶν honestorum familiaritas & conversatio omnibus votis & summo studio est expetenda. 1. quia honesta amicitia fit firmior & arctior ejusmodi crebrâ conversatione. 2. quia viri probi hoc modo meliores efficiuntur, dum scilicet honestis rebus occupantur, sese mutuò ἐπανορθῶσι corrigunt, & alter alterius honestas actiones æmulatur. Σπομάθονται γὰρ πᾶς ἀλλήλων, οἷς ἀρέσκειναι, exprimunt enim à se invicem, quibus oblectantur.*

LIX. *ὅτι μὲν οὖν φιλίας, καὶ τοσούτον εἰρηθῶ:* DE AMICITIA QUIDEM HACTENUS SIT DICTUM.

PROBLEMATTA.

1. *An Amicitia inter pocula contracta sit vera & perfecta?*

Nihil frequentius hac nostra ferè est ætate, quàm quòd non- nulli, quam primùm alterius aspectu & alloquio in conviviis fru- untur, amicas manus & animum cum ipso jungi desiderant, freti his rationibus. 1. quia per hanc amicitiam honestus quæritur finis, nimirum studiorum conjunctio, officiorumq; commutatio mi-

πορίσματα
1.

Rationes
pro affir-
mat.

1.



1. nimè incerta. 2. quia non solùm juniores, sed etiam adultiores
 3. & limatioris judicii viri hujusmodi gaudent amicitia. 3. Non suo
 4. caret eventu; Nam qui ejusmodi amicitias contraxerunt, post-
 5. modum conjunctissimè diu vixerunt. 4. fiunt in conspectu mul-
 6. torum qui quasi testes sunt amicitiarum recens initarum. 5. quia
 7. cujusvis animus potest probari; Hic enim quis animi sui sensa
 8. liberè prodit. Sed pocularem ejusmodi amicitiam dissuadent sequentes. 1.
 9. quia amicitia uno actu contrahi non potest, sed sæpè iteratos con-
 10. versationis virtutis plenæ actus postulat: ac *χρόνῳ προσδείται ἡ συν-
 11. δέσας* l. 8. Eth. c. 4. At in poculari hac amicitia hoc non fit: Vix
 12. enim facie ac ore tenus quem noveris, statim amicum eligis corde
 13. tuo. 2. perfecta amicitia non ex poculo, sed animo & judicio liberè
 14. est æstimanda; & rectè conformata electione: At in amicitia
 15. poculari non rarò accidit, ut quis ita Baccho vel Zytho fit im-
 16. mersus, ut neq; manus, neq; pes, nedum lingua vel mens suum
 17. facere possit officium. 3. Accidit sæpè, ut in ipso momento, quo
 18. amicitiam contraxerunt, à blandissimis verbis ad verbera
 19. durissima deveniant vel levi de causa. Respondetur itaq; ad
 20. rationes prioris opinionis & quidem ad 1. à parte ad totum non valere
 21. consequentiam. 2. Sæpius instituitur ejusmodi amicitia, ut sub
 22. prætextu honesti obtrudatur finis, quorumvis scilicet scelerum
 23. communicatio, societas in loculis & poculis evacuandis. 3. stu-
 24. diorum officiorumq; communicatio intendi non potest, nisi pri-
 25. us, quem in amicitiam hoc modo eligis, ejus ingenium & mores
 26. probè cognoveris, Non ergo jam vitrum sed ante perspecta vir-
 27. tus conciliat amicitiam. Ad 2. est diversissima ratio: Nam ju-
 28. niores temerè & *ἀπειρημένοι* inconsultò contrahunt: Adultiores
 29. verò honestis in conviviis non poculi evacuatio, sed virtutis opi-
 30. nio inflammat. Ad 3. conjunctionis & concordia illius suavissi-
 31. mæ genitrix & nutrix non est compositio, sed ingenii, morum,
 32. virtutis, studii similitudo. Ad 4. Licet in multorum conspectu
 33. ejusmodi amicitia contrahatur, nullam tamen vel perfectionem
 34. vel constantiam amicitia importat. Ad 5. quæ de animi per-
 35. potum patefactione dicuntur, plerunq; fallunt.

2. An licitum sit cum infidelibus mercatu-
ram exercere?

Si can-

Si eandem necessariam cum suis fidei confortibus exercere non detur, licitum esse ostendit exemplum Salomonis ab Hiram ligna pro templi exædificatione accipientis. 1. Reg. 5. §. 1. eiq; alimenta pro domo sua rependentis. §. 11. *Abrahami* duplicem speluncam à filiis Heth Gen. 23. §. 16. ementis, religione licet à se dissidentibus: *Christi ac discipulorum*, panes aliaq; necessaria à Iudæis ementium. Cùm verò de mutuis emtionis & venditionis contractibus, aut aliis mutuis concivium operis præcisè loquamur, certè negligenda non est cautio ista, ne quis cum periculo aut scandalo tali se credat negotiationi; aut si ipsa per se periculo vacet, id ipsum spontè sibi creet.

3. *An hereticus sit convivio excipiendus?*

Non indignum hoc esse, ipsum divinum præceptum hoc exigere videtur proveib. 25. 21. Rom. 12. §. 20. ut in hostem misericordiam exerceamus; *Interim tamen*. 1. ut absit scandalum, quo vel alii offendantur, te tacitè cum hæreticis colludere aut manentes, vel tu ipse amore quodam hominis captus in actiones ejus consentire incipias: qui primus est seductionis gradus. 2. *Periculum* seductionis tui vel aliorum. 3. *Prava colloquia*, quæ bonos mores corrumpunt. 1. Cor. 15. §. 33. 4. *bono fine* suscipiantur, vel ex charitate christiana in hostem quoq; sese exerente, vel spe conversionis, vel deniq; pacis politicæ conservandæ gratia.

4. *An christianus homo ab heretico ad convivium invitatus compareat?*

Concedit hoc Apostolus. 1. Cor. 10. 25. Deinde exempla, Christi imprimis. Luc. 7. §. 36. c. 14. §. 1. c. 15. §. 1. licitum docent: Si tamen eadem adsint conditiones, in præcedenti quæstione nominatæ. Hinc tamen adhuc nulla familiaritas est, quàm multiplicata demum colloquia & convictus contrahunt.

5. *An cum infideli quotidiana & ordinaria mensa utendum & conversandum?*

Videtur quod non. 1. quia cum conscientie violatione id fieri nequit. 2. Amicitia ejusmodi planè est impossibilis, tum quia maximum thesaurum non communicas & partem cordis præcipuam tibi reservas; imò ab alienas, & horrore maximo refu-

9K
7c
264

refugis, tūm quia hujusmodi concordia facili momento rursūm
dissilire potest, quo nihil magis eidem inimicum. 3. est illicita:
1. ob incommodum dissimulationis, quam capitalem novimus ex Matth.
10. §. 33. neq; eam excusat in amici gratiam admissam, cūm
nunquam non sedulò tractanda religio, cuius natura non pati-
tur abscondi, quicquid tandem excusationis prætendatur. 2. ob
periculum seductionis, quod sæpè inculcat Deus Ex. 23. 32. Deut. 7.
§. 3. suffragante Apostolo ab Ethnico mutuata sententiâ: φειξέ-
σιν ἡδὲν χροῦσ' ὁμνίαι κακαί. 1. Cor. 15. §. 33. Exemplum suppeditan-
te sapientiss. Rege Salomone 1. Reg. 11. 7. Cūm-primis verò
morum postulatur ac virtutis æqualitas. 1. 8. Eth. c. 10. non tām
quoad gradum, quām ἰσότην. Ubi enim virtus ac mores dissi-
dent, disruptum est vinculum, quod amores coalescere
facit; Hoc verò deficiente, unio consiste-
re non potest.

F I N I S.



107

nc





Dn.

Dn.

Dn.

SERE

Sig.



atissimis,

INCLUTÆ

I LONGE

GNO.

N SALINIS

NTIUM

ÆSTORI

STRISs. AC

, Dn. IOANNIS

imarschalli ac

urgici, &c.

item

autoribus ac Pro-

ssimis, perpetu-

m decit & obser-

hibet

chstedt Hall.

pcnd.

DE AMI.



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

